



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

Alteram sacramenti speciem Christianis in genere auferre, grande
sacrilegium est 74

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

clesia potest, quatenus ordinationes eius in eum finem efficaciter tendunt, ut mandata & ritus quos tradidit Dominus, decenter & ad ædificationem obseruentur, nullo modo aut penitus antiquentur. In hoc consistit Ecclesie dispensatio: non autem eò se extendit, ut vllum eiusmodi mandatum Domini prorsus, abolendi & interdicendi potestatem habeat & facultatem.

Sic etiam illud cum veritate pugnat, Quòd dispensationem Calicis omittere, vel prohibere sit pro dispensatione Ecclesie habendum & iudicandum. Eius enim vtilem ad ædificationem causa demonstrare potest.

Quod alteram speciem sacramenti Christianis in genere auferre graue sacrilegium sit.

C A P. LXXIV.

ITAQUE Calicis Christi dispensationem omittere vel interdicere, est ac semper manebit grauissimum sacrilegium, què admodum Papa Pelagius agnouit: cuius decretum omnino pro veritate Christi, cui Liber Reformationis adheret, facit: tantòque grauius damnat Aduersarios cum omnibus asseclis & complicibus suis quam eis contra quos Decretum istud ab initio factum est, quantò grauius est, quod non solum ipsi calicem Domini non sumunt, sed aliis quoque sumere interdicit. Hic Papa Pelagius non dicit, eos tantummodo sacrilegium committere, qui calicem Domini non vnà cum pane ex superstitione quadam percipiunt. Meminit quidem eos contra quos tunc temporis Decretum istud fecerat, ex superstitione quadam hoc fecisse. Verum non idcirco eos sacrilegij crimine liberauit, qui calicem Domini in S. Cœna, non quidem ex superstitione, percipere omittunt. Id enim nemo, qui modò calicem Domini, permittente natura sua, & iuxta verbum Domini percipere valet, nisi ex superstitione, vel temerario contemptu præcepti Christi, facere potest. Quandoquidem vt iam antea probatum est, nulla vtilis ad ædificationem promouendam causa proferri potest. Clara enim ac manifesta est institutio mandatumque Domini nostri Iesu Christi, quemadmodum etiam pia ac sedula imitatio Catholice Ecclesie Christi: Orientalium quidem Ecclesiarum à principio vsque ad hæc nostra tēpora: Occidentale verò vsq; ad illud tēpus, quo Antichristus, non in hoc tantum, verum etiã in aliis grauioribus ac maioris momenti negotijs ordinationem Domini corruptit ac peruertit.

Iniuriam quoque faciunt Aduersarij D. Cypriano, in eo quod scribunt, Eum propter hanc causam illos redarguisse, qui superstitiosa abstinentiã à vino, aquam loco vini in calice Domini vsurpabant, quod in externis rebus aliud constituere voluerint, quàm Catholica Ecclesia Christi obseruabat. Verum propterea illos reprehendit, ac erroris inde conuicit, quod in hoc sacramento aliter agebant, quàm Dominus præcepisset. Atque idcirco testatur, Quod si Christiani, & serui Dei esse ve-

limus.

limus, respiciendum nobis sit, non quid alij homines antè nos fecerint, sed quid Dominus noster Iesus Christus antè ipsos fecerit, qui est antè omnes. Videatur hæc Epistola.

Quæ quomodo contra calicis sacrilegium arguat, supra indicatum est. Agnoscit sanctus iste martyr, clarisque testimoniis scripturæ probat, omnes illos verbū Dei & mādāta eius horribiliter abiicere, qui in S. Cœna nō faciūt id ipsum quod fecit Dominus: nec dispēfant, quod ipse dispēfauit. Iā verò Dominus calicē omnibus iis, quibus panē porrexerat, distribuit, ex eoque omnes illos bibere iussit. Quod Aduersarij facere nō modò non contemnunt, verumetiam interdicut, & tanquam hæreticos schismaticosque damnant & persequuntur, quicunque ad exemplum Domini hoc faciunt: perinde ac si vnitas concordiaque Ecclesiæ consistat in omissione mandati nostri Iesu Christi. Quamobrem seria istius martyris reprehensio reuera non minus ad Aduersarios nostros pertinet, qui populo Christi calicem Domini nostri Iesu Christi penitus non ministrant, quam ad eos pertinuit, qui aquam pro vino in calice populo porrigebant. Iudicium esto penes Christianum lectorem.

Neq; hæc etiam Sophisticatio alicuius pōderis est, qua aliàs Aduersarij vt solent, Dominū solis Apostolis calicē distribuisse, qui omnes sacerdotes fuerint. Ipsi enim nec sacerdotibus calicem præbent. Ad hæc, nondum erant Apostoli tunc temporis in sacerdotes ordinati, sed iamprimum post, quando Christus Spiritum sanctum eis dedit. Et sic sanè, quod in S. Cœna sacerdotes fuerint, Dominus tamen ipsis non vt sacerdotibus, sed ipse vt sacerdos, illis tanquam discipulis suis calicem dispensauit. Sic enim in Matthæo scriptum est, Deditque discipulis suis, non dicitur Apostolis vel sacerdotibus. Ex quo manifestò consequitur, Calicem Domini nostri Iesu Christi ad eos tantummodo pertinere, qui sunt discipuli eius.

Quod cum ita sit, sequitur hoc inde. Nullam Ecclesiam in obseruatione & administratione S. Cœnæ, calicisque dispensatione iuxta mandatum Domini, neque alias Ecclesias, neque generalem omnium Ecclesiarum consensum debere expectare. Habentes enim verbum Christi, nulli nobis vel homines vel angeli respiciendi aut expectandi, quantumuis ingentia & præclara de se polliceantur. Quia obedientia & imitatione verbi diuini nos, quemadmodum cum Christo capite, ita etiam cum omnibus veris commembris in ipso, Ecclesiisque illius iamprimū verè coniungemus ac vniemus: tantum abest, vt hoc facientes ab vllis Ecclesiis, aut Christianis nos separaturi, & auulsuri simus.

Eruntque non Christiani sed Antichristiani, non Ecclesiæ Iesu Christi, sed synagoga Antichristi, quæ propter hanc causam ab vllis Christianis vel Ecclesiis se segregare rescinderèque volent, etiamsi hoc errore falsaque persuasione vel maxime implicatæ sint, quasi po-

Gregorius
primus vti
suprà lib. I.
Epistola 41.
scribit. In v-
na fide nihil

officit sancta Ecclesia consuetudo diuersa: ergo quid nocet Ecclesia si Anglia vtiuntur seu mare dispensando
vtrumque sacramentum, si liberum sit: vel si proprius ad Christi institutum pertinet. Quod sch. sine
soperè tumendum est.

testatem habeant, calicem Domini in S. Cœna supprimendi. Qui cunque enim donatus est Spiritu Christi, is pro commemoratis suis in Christo omnes illos agnoscit, qui se Iesu Christo vera fide tradunt, eique fideliter adhærent. Quamobrem Concilium Constantiense, condemnando obedientiam Christi circa hoc sacramentum, nimis clarè demonstravit, quòd nihilominus quàm Christianum Concilium fuerit.

*De spiritali & Sacramentali perceptione huius
Sacramenti.*

CAP. LXXV.



VNUM adhuc restat contra Aduersarios defendendum. In secundo paragrapho Articuli de Communionem sub vtraque specie scribunt, verissimum esse, sacramentum istud institutum potius ad hoc, vt spiritaliter ipsum percipiamus, quam secundum externam speciem, quanquam & ita interdum sumere oporteat. Cùm Christus ipse, vbi de manducatione sui corporis, & potatione sanguinis sui loquitur, ita dixerit, *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam, &c.* Citant etiam ibidem quædam dicta Augustini ad spiritualem perceptionem extollendam, extenuandam verò sacramentalem.

Responsio.

HOC loco rursus animaduertat Christianus lector spiritum istorum hominum, & qualibus de rebus pugnent, quàmque absurdos planèque impios sermones effutiant. Dicunt enim sacramentum istud institutum potius ad hoc, vt spiritaliter ipsum percipiamus, quàm secundum externam speciem. Hanc orationem quomòdocunque flectas aut torqueas, semper tamen Christo & aperto eius aduersatur. Si enim spiritualem huius sacramenti perceptionem intelligant, vt id vera fide percipiatur, & tamen etiam corporaliter, tunc ob hanc solam causam est à Domino institutum, nullo modo autem alia id ratione percipere cõcessum. Dici igitur nequit, Quod Dominus id potius instituerit, vt spiritaliter sumatur, quàm corporaliter. Si verò dictum suum de spiritali perceptione intelligere velint, sine sacramentali, Christus sacramentum suum in hunc finem non instituit. Panem enim porrigebat, iubebatque ipsum accipere & comedere etiam corporaliter, sicut & Calicem bibere. Quare spectaculum ex S. Cœna facere, ac multa de spiritali perceptione ibidem exercenda confingere velle, sine reali sacramentorum perceptione & manducatione, quam Christus Dominus noster præcepit, mandato Dei manifestè repugnant.

Præterea citant ipsi aduersarij D. Augustinum, dicentem, Quòd spiritalis manducatio sit credere in Christum. Quod si ita est, quo modo dici poterit, nos debere Christum spiritaliter percipere, non autem sacramentum, præsertim si percipere credere est? Neque enim in sacramen-